



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Annotationes Ioannis Bugenhagij Pomerani in decem epistolas Pauli**

**Bugenhagen, Johannes**

**Basileae, 1524**

**VD16 B 9232**

Capvt III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36165**

ANNOT. IOANNIS POMERANI

possit: & peccatum, quod in carne mea reliquum mihi, propter fidem in Christum non imputetur. Itaque iam spiritus Christi in credentibus hoc agit, ut ex corde diligatur deus & proximus, id quod lex requirebat quidem, sed dare non potuit. Litera enim erat, non spiritus. In quibus autem non est spiritus Christi, hi stulte de abrogatione legis gloriantur. Cetera omnia quae non continentur sub dilectione dei & proximi, ita media sunt, siue sint in lege Mosi, siue non, ut facere tibi liceat uel omittere, prout tibi placuerit, modo uites scandalum, & in eis non colles rationem tuae salutis. Ceterum quae huc pertinet de abrogatione legis, in locis Philippi habes. Igitur testamenta, & promissiones dei, tam aequae nostra sunt ac Iudaeorum &c.

Nota quod  
in uerbo  
in die

CAPVT III.

**T**estimonium & signaculum uere praedicationis est, non negare nomen Christi in persecutione. Vnde omnibus qui audierunt uerbum, luce clarius est spiritum dei in cordibus doctorum confirmasse hoc uerbum, pro quo uincula non uerentur. Hoc autem testimonio auditores confirmati, gloriari possunt apud se, certi quod dei audierint uerbum. Vnde infra: Quia propter peto &c. Pastor enim bonus ponit animam suam pro ouibus suis, mercenarius autem &c.

Dispensationem. *ad g. 105*

Actorum 22. Vade, quoniam in nationes longe mit-  
tam te. Et ad Ananiam Actorum 9. Vas electionis est  
mihi iste &c.

## Secundum reuelationem.

Ad Gala. 1. Notū uobis facio Euangeliū &c. Vbiq; Non sunt  
uult se cognosci ministrum uerbi à deo missum, sicut Pauli, sed  
abunde uides in secunda epistola Corinth. ut omnino Christi uer-  
ceri simus hoc uerbum esse dei, quod Paulus prædi- ba.  
cat &c. Hoc non est gloriam tuam, sed illius gloriam  
à quo missus es quærere, & cætera. Propterea Pau-  
lus in se descendens, addit: Mihi minimo omnium san-  
ctorum data est gratia hæc. quasi diceret, deus ita uo-  
luit operari per me minimum. Qui sum minimus, non  
solum quod persecutus sum ecclesiam dei (sicut alibi  
dicit) sed & quod ex me nihil sum. Quod hæc nō sunt  
humanarum uirium, ut maior uideatur gloria dei, dū  
tam stupenda operatur per infirma uascula fragilita-  
tis humane, ut hic nemo intēdat in hominem, dum uir-  
tus dei per hominem utcumque despectum operatur.  
Sic habetur 2. ad Corinth. 4. Habemus thesaurum  
istum in uasis fictilibus, ut sublimitas sit uirtutis dei, et  
non ex nobis.

Qua ratio-  
ne Paulus  
dicatur mi-  
nimus apo-  
stolorum.

## Imperuestigabiles &amp;c.

**ANNOT. IOANNIS POMERANI.**

Infra: Quæ sit latitudo &c. De his Psal. 50. Incer-  
ta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

**Communio.**

Scilicet quod Euangelium dispensandum sit non so-  
lum Iudæis, sed & gentibus: id est, quod Euangelium  
omnibus sit commune.

**Principatibus ac potestatibus &c.**

Eosdē intellige de quibus legis infra capite 6. Ver-  
ba hæc sunt spiritu feruentia. quasi diceret, ita in lucē  
proferimus hoc mysterium nobis creditum, ut sentiat  
totum inferorum regnum, cui dicimus: Tollite portas  
principes uestras &c. Utq; sentiāt quotquot sub prin-  
cipatu tenebrarum militant, ut feliciter ipsa ueritatis  
luce deuicti, in regnum lucis contendant. Suspiciaba-  
tur quidem diabolus, aut etiam scripturis prædicenti-  
bus, sciebat fore, ut genus humanum redimeretur: sed  
hanc tam uariam & ignotam dei sapientiam, qui sci-  
re potuit, quod deus & mundi stultitiam esset ductu-  
rus ad sapientiam, per crucem ad gloriam, per mortē  
ad uitam: sicut legis 1. ad Corinth. 2. Si principes seculi  
hanc dei sapientiam, quæ est crucis stultitia, cogno-  
uissent, nunquam dominū gloriæ crucifixissent. Quod  
hic in cœlestibus addit, supra exposuimus. In superio-  
re aëre, id est in mundo hoc, in quo uiuimus: unde prin-

*Sapientia dei*

iceps mundi dicitur.

**Huius rei gratia.**

Hoc est quod supra diximus, quod Paulus ubique  
 vult à nobis agnosci, tam immensam gratiam & in-  
 comprehensam, ut spiritu fortificati intelligamus hu-  
 ius gratiæ altitudinem, quia penetrat cœlos: profundi-  
 tatem, quia penetrat inferos. Longitudinem & lati-  
 tudinem, quia replet orbē terræ, ut nō solū intelligas  
 iam in Iudæa notū, ut i Psal. Misericordia domini ple-  
 na est terra. Itē: Domine dominus noster quā admī-  
 rabile est nomen tuum in uniuersa terra.

Tantum ha-  
 bes, quantū  
 agnoscis.  
 Psal. 75.  
 Psal. 118.  
 Psal. 8.

**Ex quo &c.**

Ipsē est caput Christi, sicut habes in Corinthijs, de-  
 inde & cœlestium & terrestrium omnia coniungens  
 in unum, in cœlis & terris ipse est pater familias, &  
 gubernator suorum, ex quo fluit omnis cognatio spiri-  
 tualis, ipse est pater omniū: ergo qui ei per fidem con-  
 iunguntur, non iudicem formidabunt, quia patrem ha-  
 bent &c.

**In internum hominem.**

Id est, ut internus homo spiritu crescat, & fortis fi-  
 at, infra cap. 4. Donec peruenimus omnes &c.

**Fixis &c.**

Vt sit charitas non ficta, ut alibi dicit, sed constans

**IANNOT. IOANNIS POMERANI**

& perpetua, etiam si tibi male fiat ab ijs, quos diligis.  
Hec ita constans, constantis intus fidei indicium &  
fructus est:

**Et fundamento iacto.**

Vide quod nam fundamentum uocet Paulus, nempe  
fortificatum spiritu fidei interiore hominem, qui cha-  
ritatis nõ fictæ producit fructus. Hoc (inquit) ceu fun-  
damento iacto. Deinde pergendum est ex fide in fidẽ,  
ut indies augeatur in nobis cognitio incomprehensæ  
gloriæ gratiæ dei, ut non falsò nos cõprehendisse esti-  
memus. Id quidem lege ad Philip. 3.

**Cognosceretur &c.**

Sicut unus est deus, ita per Christum, ut habes 1. ad Corint. 1. Hanc enim ad-  
unus est me fecuti sumus per Christum, nullo nostro merito, sed  
diator, nul- quia ardentem & supra modum dilexit nos, ita ut tra-  
lus ergo diderit animam suam pro nobis, qua charitate nulla  
præterea maior est, ut ipse quoq; dicit in Ioanne. Quotus quisq;  
intercessor est qui tam insignem Christi in nos charitatem agno-  
scit. Hanc autem scire non leue quiddam est, sed ut hic  
Paulus ait, quod eminet, & supergreditur omnem hu-  
manam cognitionem, & scientiam.

**Impleamini.**

Id est, ut crescatis ad omnia quæ dei sunt, ut nihil co

IN EPI. PAULI AD EPHES. 12

gnitionis spiritualis uobis desit, ut crescatis in uirum perfectum &c. ut infra dicemus.

Ei uero.

Non frustrabimur nostris uotis, qui patrem habemus omnipotentem, qui potest supra modum prestare quae petimus, & priusquam petimus &c. Vnde dominus in Luca: Vos cum sitis mali &c. Iuxta uim suam qua ipse agit in nobis, ne quid in hac gratia nostro conatui adscribamus, quoniam ipsius solius est gloria, nostra autem gratiarum actio. 11

Sit gloria in ecclesia.

Sicut omnis salus descendit à deo ad nos per Christum, ita rursus omnis gloria ascendit ad deum à nobis per Christum.

Seculi seculorum.

Id est illius seculi, quod succedentibus perpetuo seculis nunquam habebit finem. Ista periphrasi Hebraei uulgo exprimit aeternitatem, sicut saepe uides in sacris literis.

CAPVT IIII.

Post tanta fidei mysteria, Paræneses morum, ut solet, admonens ut sancte uiuant, qui tam sancta uocatione à deo honorati sunt 1. Thessa. 4. Non uocauit nos deus in immundiciam, sed in sanctificationem.

b 4